

medici medendi causa vel alii¹ emuli convenissent, nulla medicorum, nulla incantatorum posset precuratione² mederi, ad semet ipsum reversus, coepit cum coniuge sua affatim colloqui, ut ad beati Preiecti poleandrum dirigeret atque ex lampade eius oleo sumpto³ ei deberet deferri. Mirum dictu! ut oleo perunctus est, pristina meruit sospitate. Cumque ad incolomitatem pervenisse se cognovisset, vasculum argenteum, pensante⁴ libras decem, ad ipsum sepulchrum exornandum direxit. Quo⁵ ceteri audientes, qui in istam⁶ persecutionem prompti fuerant, cepit unusquisque aurum vel⁷ alias species ad ipsum poleandrum exornandum condonare.

Alio vero tempore predictus Ursio devotione actus, oratione⁸ lucrandi gratiam⁹ in loco, cui¹⁰ vocabulum est Vessedone, accessit. Ibique suprascriptus martyr ab infantia, eo quod proprietas illius esse videbatur, et maxime edocatus fuisset et sedula conversatione habuisset, in cubiculum illius, ubi iugiter cubare consueverat, tot miraculum¹¹ Dominus dignatus est declarare, ut vix humanus sensus valeat elucidare. Cumque ibidem predictus Ursio, ut dictum est, vigilaret, rogat unum ex officialibus, ut¹² vasculum cum paulisper oleum¹³ differret¹⁴ ad luminaria concinnanda¹⁵. Quantum ipse postea cum iureiurando adfirmat, quam libra¹⁶ aut duas non amplius habuisset, in tantum adfirmat, ut quantas ibidem lampades habuit, totas implesset, et vasculum refertum amplius repperit. Insuper vero alia basilica, quam in suprascripto¹⁷ honore condiderat, quantum narrat, 20 aut 30 lampades etiam complevit et adhuc in ipso vase semper amplius repperit, unde et exinde ad alia sanctorum loca ubertim transmisit. Abhinc satis dictum, deinceps futura futuris servemus. Explicit Amen¹⁸.

1) 'alia' 1, corr. 2) ita 1 et pr. m. 2 a. 3) ita 2 a; 'supto' 1; 'sumptum' 2 b. 4) 'pensans' 2 a. b. 5) 'Quod' 2 a. b. 6) ita 1. 2 a. 7) 'ar' add., sed delet. 1. 8) 'orationem' 2 a. b. 9) 'gratia' 2 a. b. 10) om. 1. 11) 'miracula' 2 a. b. 12) om. 2 a. b. 13) 'olei' 2 a. b. 14) 'differet' 1, corr.; 'deferre' 2 a. b. 15) 'concimn.' 1, corr. 16) 'libram' 2 a. b. 17) 'suprascripti' 2 a. b. 18) ita 1; 'Explicit passio sancti Preiecti episcopi et m̃fis' 2 a; 'Expl. A.' om. 2 b.

[Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.]